

IV

DRVSVM ET AVGVSTVM PRINCIPEM OB RAETOS
AC VINDELICOS DEVICTOS COLLAVDAT

Strophe Alcaica

Quālem ministrum fulminis ālitem,
Cuī rēx deōrum rēgnum in avēs vagās
Permīsīt, expertus fidēlem
Iuppiter in Ganymēde flāvō,

Ōlim iuventās et patrius vigor
Nīdō labōrum prōtulit īnscium,
Vernīque iam, nimbīs remōtīs,
Īnsolitōs docuēre nīsūs

Ventī paventem ; mox in ovīlia
Dēmīsīt hostem vīvidus impetus ;
Nunc in reluctantēs dracōnēs
Ēgit amor dapīs atque pūgnae ;

Quālemve laetīs caprea pāscuīs
Intenta, fulvae mātris ab ūbere
Iam lacte dēpulsum leōnem,
Dente novō peritūra, vīdit :

Vīdēre Raetī bella sub Alpibus
Drūsūm gerentem Vindeliciī ; quibus
Mōs unde dēductus per omne
Tempus Amāzoniā secūrī

Dextrās obarmet, quaerere distulī :
(Nec scīre fās est omnia) sed diū
Lātēque victrīcēs catervae,
Cōnsiliīs iuvenis revictae,

Sēnsēre, quid mēns rīte, quid indolēs
Nūtrīta faustīs sub penetrālibus
Posset, quid Augustī paternus
In puerōs animus Nerōnēs.

Fortēs creantur fortibus et bonīs ;
Est in iuencīs, est in equīs patrum
Virtūs ; neque inbellem ferōcēs
Prōgenerant aquilae columbam.

Doctrīna sed vim prōmovet īnsitam,
Rēctīque cultūs pectora rōborant :
Vtcumque dēfēcēre mōrēs,
Indecorant bene nāta culpae.

Quid dēbeās, ō Rōma, Nerōnibus,
Testis Metaurum flūmen et Hasdrubal
Dēvictus, et pulcher fugātīs
Ille diēs Latiō tenebrīs,

Quī prīmus almā rīsīt adōreā,
Dīrus per urbēs Āfer ut Ītalās,
Ceu flamma per taedās, vel Eurus
Per Siculās equitāvīt undās.

Post hoc secundīs ūsque labōribus
Rōmāna pūbes crēvit ; et impiō
Vāstāta Poenōrum tumultū
Fāna deōs habuēre rēctōs ;

Dīxitque tandem perfidus Hannibal :
‘Cervī, lupōrum praeda rapācium,
Sectāmur ultrō, quōs opīmus
Fallere et effugere est triumphus.

Gēns, quae cremātō fortis ab Īliō
Iactāta Tūscīs aequoribus sacra
Nātōsque mātūrōsque patrēs
Pertulit Ausoniās ad urbēs,

Dūrīs ut īlex tōnsa bipennibus
Nigrae ferācī frondis in Algidō,
Per damna, per caedēs, ab ipsō
Dūcit opēs animumque ferrō.

Nōn hydra, sectō corpore, firmior
Vincī dolentem crēvit in Herculem,
Mōnstrumve submīsēre Colchī
Māius, Echīoniaeve Thēbae.

Mersēs profundō, pulchrior ēvenit ;
Luctēre, multā prōruet integrum
Cum laude victōrem, geretque
Proelia coniugibus loquenda.

Carthāginī iam nōn ego nuntiōs
Mittam superbōs : occidit, occidit
Spēs omnis, et fortūna nostrī
Nōminis, Hasdrubale interemptō.

Nīl Claudiae nōn perficient manūs,
Quās et benīgnō nūmine Iuppiter
Dēfendit, et cūrae sagācēs
Expediunt per acūta bellī.’